

cordiæ dei nostri, & per asperionem sui preciosissimi sanguinis, & per precium redemptiõnis nostræ exoramus, requirimus, & monemus, quatenus ob dei nostri reuerentiam ad tractandum unâ nobiscum super infra scriptis ueniatis, & subditos uestros qui possint, & debent concilijs generalibus interesse, quos unâ uobiscum præsentibus conuocamus, inuenta, inducatis, & eisdem autoritate à deo uobis tradita, qua potestatis culmina intra ecclesiam principatus proprio decore tenetis, & de eadem reddituri estis rationem, iuxta dispositionis uobis traditæ modum conuocetis, ut infra tres menses immediate sequentes præsentationem Perpiniæ aut Barchinonæ de presentibus faciendam, concordatam in capitulis die decimotertio Decembris proxime lapsi Narbonæ super materia unionis firmatis, (De qua quidem præsentatione certificabimini in Constantia) compareatis ad schisma sedandum, unionem ecclesiæ procurandam, reformationem etiam ipsius ecclesiæ tam in capite quam in membris complendam, & deiectionem dicti Benedicti effectualiter faciendam, & ad electionem futuri Romani pontificis procedendum, ac pro alijs causis & rationibus quæ ad generale concilium de iure pertinent & spectant. Per hoc enim populum quem CHRISTVS suo sanguine precioso acquisiuit, in unum ouile ad gloriam æternam consequendam, apta mente ac debitum deo & ecclesiæ matri nostræ reddidit, æternæq; retributionis præmia consequi poteritis. Datum & actum Constantiæ in ecclesia cathedrali dicti loci, in qua pro præmissis fueramus congregati secundo nonas Februarij, anno à natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, apostolica sede uacante. Postquam autem præfatus archiepiscopus suam lecturam compleuisset, ambasiatores dicti regis Aragonum uolentes satisfacere dicto capitulo, dixerunt per organum præfati magistri Antonij Taxal, ut sequitur:

Nos oratores & procuratores illustrissimi principis domini Alphonsi domini nostri regis Aragonum &c. Conuocamus uos omnes prælatos & ceteros de minoribus hac congregatione, iuxta tenorem dicti capitulo. Deinde prælati & ceteri in ipsa congregatione existentes, per organum dicti archiepiscopi Mediolanensis responderunt in hunc modum:

Nos miseratione diuina episcopi presbyteri & diaconi cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, prælati & ceteri hic congregati, dictam conuocationem acceptamus, & offerimus nos paratos sine dilatione quacunq; ad procedendum ad ultra. Et in super requirimus uos oratores & procuratores prædictos, quatenus ad unionem faciendam nobiscum procedatis iuxta tenorem tertij capitulo conuentionis prædictæ, quod incipit: Tertio, quod præfatis de obedientia domini Benedicti &c. Oratores uero regis Aragonum responderunt per organum dicti domini Antonij Taxal, dicentes: Nos oratores & procuratores prædicti dicto nomine unimus nos uobis iuxta tenorem capitulo antedicti. Mox domini prælati & ceteri dixerunt, & responderunt per organum domini Bartholomæi archiepiscopi Mediolanensis, ut sequitur:

Nos miseratione diuina episcopi presbyteri diaconi cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, prælati & ceteri hic congregati supradictam unionem uestram acceptamus, & econuerso nos uobis procuratoribus prædictis dicto nomine iuxta tenorem dicti capitulo unimus, & sic tam prælati quam ambasiatores prædicti, dixerunt submissa uoce: In nomine patris & filij & spiritus sancti. Et super præmissis petierunt instrumentum & instrumenta hinc inde. Et præsidentes pro nationibus, ac cardinalis Oltiensis pro collegio cardinalium, responderunt, placet.

Quibus sic peractis, præfati domini ambasiatores regis Aragonum descenderunt ambonem, & iuerunt in scamno, in quo sedebant domini ambasiatores regis Franciæ. Et interpositi fuerunt inter eosdem in hunc modum. Primo enim in primo loco sedebat egregius uir Ioannes de Gersono cancellarius ecclesiæ Parisiensis, sacre theologiæ professor, ambasiator Francorum regis, Et post eum sedebat dominus

Constantien.  
cõcilij, sess. 10.

al. gratiam  
al. aptauit  
tis

al. prius

Constantien.  
cõcilij, sess. 10.